







~~J.H.A.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
17-69.
SIGNAT. oIoloCCCXIII.

















14

DE LUBLINENSI

DISPUTATIONE ANNO

DN. M. DC. XV, die IX. & X, Augusti à

JESUITIS institutâ, Brevis, simplex &

candida Epistolaris Relatio.



Epistola Amici ad Amicum.

In monitis
Calvinisti-
cis, Autore
Crucio,
Monito 6.
fol. 18.

EXcruciatum animus meus, amicorum integerrime, quoties Jesuitas & Socinianos veris orthodoxæ Ecclesiæ Pastoribus insultantes audio. Et quidem Jesuitas eo nomine, quòd ab illis Orthodoxi in arenam Disputationis provocati, certamen publicum subire recusarint. Hinc non tantum per omnia Societatis Lojolanæ Tempora, Collegia, de nostris triumphis: Verum etiam anfa Moniti illius, quòd quidam Rabula è Cathedra blasphemæ Societatis in suo famoso libello Orthodoxis sine fronte affingere non erubuit. *Disputationes, inquit, de Fide publicas, maxime cum Jesuitis, etiamsi provocentur, Ministri Evangelici omnino declinent: nec in iis comparere presument.* Hæc in persona Orthodoxorum. Subjicit Commentum Cerebri Ignatiani. *Nusquam tales publicæ Disputationes Evangelicis contra Catholicos, maxime verò Jesuitas, cesserunt cum honore & fructu, ut testatur copiose Germania & Polonia. Ideò merito prohibentur Ministri Evangelici, ne invitati etiam presument comparere, & officium disputandi acceptare. Et hæc prohibitionem, utpote legitimam, quam à Pastoribus & Superintendentibus suis habent, quibus ipsi, tanquam oves, parere necessario debent, excusabunt se apud Catholicos. Ita fecerunt Lublini anno superiore provocati Ministri Calvinistarum à PP. Societatis Jesu ad concertationem publicam: cui tanquam moderatores & pacis custodes aderant omnes supremi Tribunalis Judices. Sub ipsum enim tempus assignatum Disputationi submiserunt duos Nobiles, qui eos coram toto illo conventu, cur non comparerent, & Disputationi se non sicerent, eo modo, quo jam audivimus, purgarunt; sed frivola excusatio ab omnibus risu excepta fuit.*

Sociniani autem Racoviæ in sua Synagoga publicas & solennes Deo Patri æterno, sine Filio æterno, gratias egerunt, quòd in causa communi, videlicet Controversia
de

de vera Divinitate Christi, publico certamine cum Jesuitâ inito, Pontificios, Evangelicos, ipsum adeò Christum, nostri caussa humilem factum, unâ operâ prostraverint. Talibus ab utraq; factione divulgatis, imbecilliorum animi nutare, labascere, vacillare videntur; qui ut in verâ & purâ Religione piorum operâ confirmari queant, per ipsum Deum, cuius tremendo Tribunali sistemur, te oratum volo, ut hoc totum Lublinensis Disputationis negotium candidè, sincerè, sine omni fuce, mihi per literas exponere velis. Rem certè, non tantùm mihi, sed omnibus piis remotiora loca incolentibus, nec, quid Adversariis hac in causâ respondeant, certi habentibus, gratissimam facturus. Vale.

Amici Responsio.

EXcruciari animum tuum, Amicorum optime, minimè miror. Zelus enim ille tuus, quo erga gloriam Dei, ut promovendam, ita retinendam, flagras incredibili, ob minimum, quod Ecclesiæ Dei imminere videtur, incommodum, piam hanc sollicitudinem facile abs te exprimit. Desinet tamen procul dubio tuus animus exacerbari, ubi caussas, easq; gravissimas, acceperis, quarum impulsu Pastores Orthodoxi in certamen à Jesuitis provocati tunc temporis comparere noluerint. Ego quidem, quod me malè habet, tunc temporis Lublini non fui, alioquin spectator, & oculatus testis gestorum esse voluissem: tamen quas mihi caussas detrectatæ concertationis Viri pii, gravissimi, fideq; dignissimi bonâ fide retulerunt, eas tibi sincerè, candidè, sine fuce expono.

Ergo nostri, à Jesuitis provocati, tunc temporis sistere se indignum judicarunt ideo, quòd non decenter, non legitimè, non modo debito, non cum dignitate ratione Temporis, Loci, Personarũ à Jesuitis provocati fuerint. Dices, quomodo ratione Temporis? Quia ante duas hebdomadas, antequam quidquam de hac adornanda Disputatione audiretur, in

cœtu Orthodoxo Lublinensi Communio sacra pro hâc ipsâ die 9. Augusti celebranda indicta fuit: Ubi necessariò Concionēs quotidie binæ, aliquando ternæ præmittendæ; afflictis verò conscientis consilia in privatis frequentibus colloquiis ex Verbo Dei necessariò danda erant. Hinc spiritualium negociorum illa moles, quæ Reverend. Patrem, Dominum Iohannem Grzibovium Pastorem cœtus Lublinensis vigilantissimum, Seniore Districtus dignissimum, omni adiutore destitutum in dies, ne dicam in horas premebat, ac penè opprimebat: cuius animo facilè suboriebatur dubitatio, foretne consultius, tam augustum Religionis Orthodoxæ Actum, toties fidei Populo commendatum, quem devotæ animæ sitiebant, in aliud tempus rejicere, an Jesuitis disputantibus morem gerere. Quæres, quomodo ratione Loci? Dico, quia à Jesuitis locus utriq; parti ex æquo tutus delectus minimè fuit. An integrum Orthodoxis erat, Jesuitarum Collegium aut Templum ingredi? Minimè. Hufsi vestigia terrent; quippe cum apud ipsos sit solenne, Hæreticis non esse servandam fidem. Aderant quidem honoratissimæ Personæ, nonnulli Supremi Tribunalis Iudices: sed confluxerat & hominum colluvies, cuius vox frequens audita: Ades Domine Minister, ultimùm hîc cœnabis: Quam nec ipsi Iudices, aut Jesuitæ in officio continere potuissent. Hîc, pro maturitate tui iudicii, tu ipse videris, nonne temeritatis fuisset, propter unam concertationem, ex qua plus periculi, quàm fructus sperari poterat, si seipsum Reverend. Dn. Pastor Lublinensis, Patronos, & reliquos Orthodoxos tanto discrimini objecisset? Scire aves, quomodo ratione Personarum provocantium? Quia Jesuitæ superbè, contemtim, contumeliosè Orthodoxos Ministros provocarunt. Hoc patet ex Titulo Thesibus præfixo: *Theses Catholicae Ministris Calvinianis ad oppugnandum propositæ.* Item ex verbis, quæ ad calcem Prætoriâ autoritate adjecerunt: *Et quidem*

dem dies nonus Calvinianis ad Disputationem datur. Judica ipse, an Jesuitarum tale sit ferendum supercilium? Si provocassent Orthodoxos Pastores, ut Christi Ministros, comparere tenebantur; sed cum provocaverint ut Calvinianos, ad sistendum se nullo jure sunt obligati: Non enim in nomen Calvini baptizati: nec Calvinus pro ipsis crucifixus: Calvinianam doctrinam non sequuntur, sed Christi, indicante, pro sua parte, Viro pio, Theologo summo, quem Jesuitæ non refutant, sed conviciis proscindunt, & allatrant, ut canes Lunam, Iohanne Calvino. Si seriò Jesuitæ Disputationem poscebant, de tempore opportuno, de loco utriq; parti tuto, de Argumento nobili, de Personis ex utraq; parte sese potentia & dignitate æquantibus (Politicos Patronos intelligo) nobiscum convenire necesse fuit; quod cum culpa ipsorum factum non sit, non per Orthodoxos, sed per illos stetit, ut Evangelici certamen detrectarint. Non est igitur, cur alicujus animum pii hæc subeat cogitatio, aut etiam vel tenuis suspicio, quòd Orthodoxi Pastores bonitati causæ & industriæ Actorum diffisi huic institutæ concertationi sese subduxerint. Causa est optima & insuperabilis, autoritas nempe, perfectio & sufficientia sacræ & divinitus inspiratæ Scripturæ, quæ si nutabit, nihil firmi, nihil certi in Religione Christiana habebimus. Actores etiam tam bona causâ, & hac vice poterat habuisse strenuos, in palæstra disputandi exercitatos. Præstò enim aderat Reverend. Dn. Ioannes Grzibowski Ecclesiastes Lublinensis. Evocari facilè poterat Belziciis pietate & doctrinâ Vir conspicuus Reverend. Dn. Joannes Zurovski: Accurrisset Curoviâ Vir Dignissimus Dn. Andreas Ieziarski: Quorum primi duo in Academiâ Altorfianâ, tertius in Heidelbergensi ArchiPalatinâ non paucos annos, sub Clariss. Theologis & Philosophis contriverunt. Assensum est ergo iudicio Illustrium, Magnif. & Generosor. DDnn. Patronorum, qui tranquillitati & paci

communi consulentes, in scriptis potius, quæ sunt solidiora & pacatiora, iudicium de Thesibus propositis conscribi, & Jesuitis disputare volentibus offerri censuerunt: quod factum post à magnis quibusdam Viris Senatorii Ordinis, Romanam licet Religionem profitentibus, sed pacem publicam amantibus, comprobatum est. Porro Jesuitarum sic se habuere Theses.

THESES JESUITARUM.

I. *Sacra Scriptura in iis Libris, quos Ministri pro Canonicis habent, non continebat unquam plenè & in particulari, & sufficienter, sine Traditionibus Divinis omnia Dogmata ad Fidem, Vitamque rectè informandam spectantia: Ideò Traditiones Divinæ Non scriptæ, tanquam altera pars Verbi Divini, non minùs necessarii & certi, quàm sit ipsa sacra Scriptura, concedendæ sunt.*

II. *Præter Divinas Traditiones semper fuit necessaria Fidelibus talis autoritas Pastorum Ecclesiæ Dei, ex qua derivare possent, sine periculo erroris, doctrinas, tum ad certam cognitionem librorum Divinorum, & ab Apocryphis discretionem; tum ad germanam Sacræ Scripturæ intelligentiam; tum ad ejusdem defensionem, pertinentes: hoc est, ad expediendas magnas difficultates, quibus certitudo & veritas Librorum Sacræ Scripturæ, à levibus vel malevolis hominibus in suspicionem erroris, vel falsi vocari possent, ad quas Difficultates expediendas, & ad alia supra-dicta, Sacra Scriptura per se sola non est sufficiens.*

III. *Semper fuit potestas in Ecclesia Dei novas condendi leges, & ritus ad Divinum cultum spectantes, & quidem Deo placentes, ac Fidelibus utiles, etiamsi non fuerint particularia Divina præcepta de iis nominatim instituendis in Sacra Scriptura expressa: Tales autem leges & ritus, si tanquam necessario observandi recipiantur, non possunt à Fidelibus, justè à causâ non excusatis, sine peccato negligi.*

IV. *Non licet Oribus Christi examinare Constitutiones Ecclesiasticas, & publicam doctrinam Legitimorum Ecclesiæ Dei Pastorum,*

noC

nec rejicere quasi Scripturæ contrariam. Hinc & Tempore legis Mo-
saicæ, & Christi, & Apostolorum sæculo, Fideles soliti fuerunt et-
iam ejusmodi amplecti doctrinas & leges suorum Pastorum, quæ
multis videri poterant (etsi verè non erant) magis contrariæ prioribus
Scripturæ sententiis, quàm nunc videri possint quædam Romanæ Ec-
clesiæ dogmata & ritus, quos Heretici Ministri blasphemè appel-
lant Dogmata & ritus Anti-Christianos.

*Hisce de Thesis Orthodoxi opposuere
Judicium tale.*

IN Thesis propositis Jesuitæ non Apodicticos Disputa-
tores: sed Sophistas versipelles, more suo, agunt. Statum
enim Controversiæ haut candidè proponunt: sed multis per-
plexitatibus eundem involvunt, & ambiguitate Terminorum
in suis Thesis ludunt. Qui ne ante victoriam canant tri-
umphum, Termini ambigui in hac Controversia distinguen-
di, & Status Controversiæ ritè investigatus ob oculos omni-
um perspicuè ponendus est.

In prima Thesi de insufficientia Scripturæ Sacræ pro sup-
plemento Traditionum disputaturi, Statum Controversiæ
intricant. Coryphæi enim Jesuitarum olim Statum Cōtrover-
siæ in hac Quæstione proponebant talem: *An Sacra Scriptura
contineat Doctrinam, quæ ad consequendam vitam æternam sufficiat?
vel, quod idem est: An contineat sufficientem Doctrinam ad fi-
dem moresq; vivendi necessariam?* affirmativam cum abunde pro-
baverint Evangelici; isti Disputatores novi, ut Statum Con-
troversiæ invertant, non sine magno astu interferunt parti-
culas: Plenè, Sufficienter, & in Particulari. Hic autem Ter-
minus ex talibus Particulis exultans dupliciter intelligi po-
test, vel, ut Status in hunc modum concipiatur: *Verùm omnia
Dogmata ad salutem necessaria ex Scriptura sigillatim deduci possint?
Aut etiam; Utrùm omnia verbatim in eadem contineantur?* Prius
asserimus: Posterius non item. Dupliciter enim aliquid in Sa-

crâ Scripturâ dogmaticè sufficienter tradi dicimus: vel secundum τὸ ἐπιτόμιον, & totidem verbis: vel secundum τὴν διάνοιαν, ex bonâ Consequentiâ, aut æquipollentibus vocibus. Quæ ex bonâ Consequentiâ deducuntur, ea pari Pietatis affectu credenda censem⁹, ac illa, quæ ἐπιτόμιον tradita sunt. Affirmam⁹ itaq; omnia Dogmata ad salutem necessaria, partim juxta τὸ ἐπιτόμιον, partim juxta τὴν διάνοιαν in Sacra Scriptura contineri: atq; ita Supplemento Traditionum opus non esse. Quod facimus his moti rationibus. I. Doctrina, cui nihil addendum, nihil adimendum est, est in suo genere plena, perfectâ & sufficiens. Sacra Scriptura est Doctrina talis. *Deut. 4. v. 2. Deut. 12. v. 32. Proverb. 30. v. 6. Apocalyp. 22. v. 28.* Ergo &c. II. Doctrina, præterquam sub anathemate in Ecclesia nihil est annunciandum, ad salutem est sufficiens. Sacra scriptura est Doctrina talis. *Gal. 1. v. 8.* Ergo &c. Ne autem de Traditionibus dictum id Jesuitæ somnient, *en Verba Augustini contra lit. Pet. lib. 3. Cap 6. Si quis, sive de Christo, sive de Ecclesia ejus, sive de quacunq; alia re, quæ pertinet ad fidem vitamq; nostram, aliud evangelisaverit, præterquam quod in Scripturis Legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit.* III. Si Scriptura reddit hominem perfectum, & ad omne opus bonum perfectè instructum, est itaq; perfectâ & sufficiens. Antecedens verum ex *2. Timoth. 3. v. 15. 16. & 17.* De veritate itaq; Consequentis nullus dubitandi locus. IV. Si Judæi, & quidem rectè, quia approbante Christo, putabant se in Scripturâ habere vitam æternam, multò magis nos Christianos, posteaquam ad Legales Evangelicis quoq; libri accesserunt, idem credere meritò oportet. Verum prius ex verbis *Christi Joh. 5. v. 39.* Ergo & posterius. V. Ultima voluntas prudentissimi Testatoris omnia Heredibus necessaria in se continet. Sacra Scriptura est ultima Voluntas talis: Testamentum siquidem inscribitur. Ergo. VI. Quod Hæreticorum fuit proprium, illud in se Catholici derivare non debent. Atqui Hæreticorum

rum

rum fuit proprium Sacras Scripturas insufficientiæ arguere, illarumq; defectum, qui nullus fuit, supplemento Traditionum sarcire velle. Ergo genuini Catholici idem facere non debent. Major extra controversiam. Nunquam enim veri Catholici jugum trahent cum Hæreticis: Minor probatur Testimonio *Jrenæi lib. 1. Cap. 2. contr. Hæres. Cum ex Scriptura arguuntur, in ipsarum Scripturarum accusationem convertuntur, quasi non rectè habeant, neq; sint ex autoritate, & variè possint exponi, nec possint intelligi ab illis, qui non tenent Traditionem.* Qui itaq; Hæreticorum vestigia premunt, an Catholici dicendi sint, candidorum judicium esto.

In secunda Thesi itidem ambiguitate ludunt, & Statum Controversiæ invertunt. Non enim inter nos controvertitur: *An Ecclesiæ Autoritas ad discernendos Canonicos libros ab Apocryphis, & multas difficultates expediendas, sit necessaria? Sed; Ecclesiæ, an Scriptura sit illud, in quod ultimò resolvitur Fides nostræ? Item, An Sacra Scriptura suam habeat à sola Ecclesiâ autoritatem? Et, An possit Ecclesia libro, qui non sit Canonicus, Canonicam tribuere autoritatem?* Ut ergo de Statu Controversiæ planius constet: Negamus, libro, qui Canonicus non est, ab Ecclesia posse tribui Canonicam autoritatem. Interim tamen Ecclesiæ, illius præcipuè, quæ Apostolorum temporibus proxima fuit, autoritatem & de libris Canonicis judicium magni facimus. Ecclesia enim in Scripturis conservandis & proponendis fungitur officio; Primò *Tabellionis*: Quia Epistolam omnipotentis Dei ad homines (*Sic Gregorius Magnus Scripturam vocat lib. 4. Cap. 84.*) diligenter custodit & integram defert. Secundò *Vindicis*: Quæ genuinas Scripturas, ab adulterinis dijudicat, conferens notha Scripta propriis, & judicium primitivæ Ecclesiæ, quæ *ἀπολύτῳ* ipsa vidit, sequens. Tertiò *Præconis*: Quia Scripturas proponit, prædicat, divulgat. Quartò *Interpretis*: Quia easdem ex publico Spiritu, in iisdem loquente Scripturis, secundum easdem Scripturas, exponit. Hoc

B itaq;

itaq; sano intellectu Thesis secunda ex parte concedi potest, expunctis tribus primis dictionibus: *Præter Divinas Traditiones &c.*

Tertia Thesis fertilis est herbæ, in quâ latet anguis, in vobis maximè *Novas condendi leges: & Particularia Divina Præcepta.* Novæ enim leges dupliciter accipi possunt: Aut, ut sunt antiquæ legi Dei contrariæ: Aut, ut sunt, recens quidem latæ: sed antiquæ legi Dei minimè repugnantes. Priore sensu Ecclesia Dei nunquam leges novas sanxit: Nunquam enim sibi in Deum, & in legem ejus antiquam jus arrogare voluit; quin potius præscripto legis antiquæ stare tenebatur, dicente DEO *Deuteron. 17. v. 10. Facies, quodcumq; dixerint, qui præsumt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta Legem ejus.* Posteriore sensu novæ quædam Leges pro ratione Temporum, Locorum, Personarum, ædificationis ratione habita mutabantur, & conscientias obligabant tantum ratione scandalii: ad quas ferendas, vel antiquandas particularia Divina præcepta necessaria non fuere. Generale illud *1. Corinth. 14. v. 40. quo ad ædificationem Ecclesiæ DEi obligamur, sufficiebat.*

Idem Candor in Quarta Thesi desideratur. quæ etiam perplexè admodum proponitur. Non enim est Quæstio: *An Oves Christi Constitutiones Ecclesiasticas legitimorum Pastorum, quasi Scripturæ contrarias, examinare, & hoc prætextu rejicere possint?* Sed duæ miscentur Quæstiones: Prima: *An Oves Christi possint & debeant suorum Pastorum Doctrinam ex Verbo Dei Scripto examinare?* Altera: *An Oves Christi possint & debeant suorum Pastorum Doctrinam, si Scripturæ contraria sit, rejicere?* In utraque nos Affirmativam tenemus. Rationes pro primâ hæc habemus. I. Quia jubentur Fideles, tanquam intelligentes, de Doctrina Pastorum judicare. *1. Cor. 10. v. 15. Ut prudentibus loquor, Vos ipsi judicate.* II. Quia tenentur Christi Oves vocem ejus audire alienam verò fugere. Necessè est igitur, ut exacto judicio cognitam habeant. *Ioh. 10. v. 45.* III. Quia
jubentur

jubentur omnia probare, quod bonum est, tenere. I. *Thessal.* 5. v. 20. IV. Quia laudantur & ad imitationem proponuntur Beroënses, qui idem faciebant. Pro Secunda Rationes hæc militat. I. Quia Christus monuit cavendum à fermento Pharisæorum *Matth.* 16. v. 6. II. Quia Christus jubet relinquere cæcos, & cæcorum Duces. *Matth.* 15. v. 14. Cæci autem Duces illi sunt, qui Verbum Dei Scriptum, quod lumen est, intueri nolunt; & qui credulam Turbam ab hoc lumine animabus dato avertunt. III. Quia ipsa ratio dicit, nihil falsi sub specie veri ab iis, qui sunt veritatis studiosissimi, suscipi debere. Falsò igitur & captiosè in Thesi Jesuitæ ponunt: *Tempore Legis Mosaicæ, Christi, & Apostolorum seculo Fideles soliti fuerunt etiam ejusmodi amplecti Doctrinas & Leges suorum Pastorum, quæ multis videri poterant (etsi verè non erant) magis contrariè prioribus Scripturæ Sententiis, quàm nunc videri possint quædam Ecclesiæ Romanæ Dogmata & ritus, quos Heretici Ministri appellant Dogmata & ritus AntiChristianos.* Falsò, inquam, id adserunt. Nunquam enim pii ac cordati Viri in errores Pastorum, Cathedram licet occupantium, consenserunt; moniti quippe à Deo *Esa.* 8. v. 20. 21. *Ad legem & ad Testimonium: Si non dixerint juxta Verbum hoc, non sit eis matutina lux.* Captiosè inseruerunt Thesi particulas *Quasi & Videri;* Quæ Statum Controversiæ invertunt. Non enim quæritur: *An ab Ouibus Christi rejicienda sit Pastorum Doctrina, quæ Ouibus videtur, & non est, quasi contraria Legi Dei?* Quis enim est tam fungus, & quovis pistillo obtusior, ut id quærat, aut affirmet? Sed: *An Doctrina, quæ verè est contraria Verbo Dei Scripto, à Pastoribus autem, externâ Vocatione gaudentibus, sub pallio veritatis proposita, Ouibus Christi sit rejicienda, necne?* Cujus Affirmativam nemo sanæ mentis negaverit.

Has & similes Ambiguitatum latebras ex suis Thesibus Jesuitæ tollant, candidè, ut tanti nominis Viros decet, agant; Vinci potius à Veritate, quàm Veritatem vincere malint:

Credant nos asserendæ huic tam bonæ Causæ, tempore & loco competenti non defuturos.

Hoc iudicium de Thesibus propositis 10. Augusti per Generosos Equestris Ordinis Viros Jesuitis cum Socinistis Disputationem inchoaturis transmissum est: Quo accepto, responderunt, se ad Disputationem, quæ vivâ voce, & publicè in conspectu omnium institueretur, non ad Scripta Ministros provocasse: Sed cum non comparuerint, Scriptum Scripto brevî profligaturos minitati sunt. Ad hoc usq; tempus altum silentium. Porro, ut tibi, amicorum intime, planius constet, quo consilio, fine, & scopo Jesuitæ Orthodoxos in arenam Disputationis provocaverint: En literas Jesuitæ ad Jesuitam Christophorum Piaſeckî Lublinum datas, in quibus de hac ipsa Disputatione adornanda consilium datur, subjicio.

✠

Reverende in Christo Pater, Pax Christi.

Accepi gratissimas R. Vestrae literas 20. Junij datas. Ad quas statim respondeo. Etsi occluseram fasciculum ad R. P. Rectorem vestrum. Ut Disputatio aliqua instituat sub tempus Congregationis, esset valde bonum, & ut puto, utile multis, tum Catholicis, tum Hereticis; Sed ut syncerè meum sensum aperiam & candidè, jakom zwoſt/ hæc ad puncta à R. V. scripta dico. Primò suscepturum me hanc Provinciam, si ea erit voluntas Superiorum, quam ego non quæram, ne videar plus sapere, quàm oportet. Secundò non susciperem ullas Theses contra Arrianos. Ratio est: Quia hæc Disputatio deberet esse ad captum Populi & vulgi, & talis, ut Populo plausibiliter persuadeatur, vel scrupulus saltem injiciatur. Hoc autem in Disputatione cum talibus Arrianis, quales modò sunt, non assequerem; quia habent subtilissimas evasiones, nunquam auditas, quæ ex Scripturâ solâ non possunt revinci ad captum Populi, qui rudis est, & non potest statim capere, quæ dicuntur in fervore Disputationis. Non censerem ab ullo nostrum
hunc

hunc laborem suscipi. Deinde Error hic non est tam communis: Idem
putarem, cum solis Calvinistis agendum. D nã tzechboch sedt / jał
nã miõd Kowiński. Vel potius: contra Calvinistas, & Arrianos, & Lu-
theranos: Sed in tali Materia, in qua omnes conveniunt, & quæ est
tanquam fundamentum omnium Heresium illorum. In hac possem,
Dei ope, ad stuporem (verbo absit invidia) cum magno fructu ope-
ram meam impendere. Quia habeo varia collecta de hac re, quæ in
nullo Autore impressa sunt, sed ex diligenti Scriptorum lectione per
multos annos collegi &c. &c. Hac autem sunt. I. Scriptura Sacra
non continet omnia necessaria Dogmata, & ad fidem Christianam,
ad directionem Christianorum morum spectantia. II. Necessariò sunt
concedendæ aliquæ Traditiones Non-scriptæ, in Scriptura non ita, ut
alia ejus Dogmata, expressæ. Ex quibus Traditionibus petenda sint
ea Dogmata ad fidem & ad mores spectantia, quæ in Scriptura non
sunt. III. Rectores Ecclesiæ Catholicæ habent potestatem infallibi-
lem approbandi Scripturæ libros, veros discernendo à suppositiciis,
item Traditiones veras à falsis: & sine hac approbatione nec Scriptu-
ræ posse credi, imò esse in Scriptura multa, quæ illam ostenderent esse
non divinam, non à Deo traditam, non Sacram &c. IV. Rectores
Ecclesiæ possunt instituere novos ritus, novas Leges ad cultum Dei
spectantes, Deo gratas, obligantes in conscientia, etiamsi non sit ex-
pressum in Scriptura de eis particulare mandatum Dei. Ista sunt valdè
plausibilia, facilia intellectu: A nã to wšysoch bija y sãdza swe Se-
ktu &c. p partib. cõtrariis. A kiedyby kto evidẽter okazal, e to praw-
dã, & aras omnes Controversias probaret. In his Materiis triumpharem.
Sed nullum Argumentum acciperem ex Bellarmino, nullum ex Coste-
ro, vel Valentia, vel Gretsero. Nova omnia: sed tam efficacia, ut ni-
si quis velit esse Lucifer obstinatus, deberet cedere & credere. Scribo
sincerè, bom byl Hæretykiem zjãdłym y nieprostakiem / wiem jał
to trzeba z niemi. Patres tam nie trzebo nic a nic: Sed solã Scriptu-
rã agendum est, & omnia mea Argumenta clara, nova, efficacissima
essent ex sola Scriptura. Tertiò, scribo hoc, Nollem ullum prorsus
adjutorem, si deberem ego disputare. Ratio est. Quia nullus pror-

Sus scit Argumenta mea, unde fieret, ego irem Leopolim, alter Varsa-
viam; unde esset dissensio inter nos, & ego, quia nescio fingere, debe-
rem improbare & dicta mei adjutoris, si non essent ad rem. Nam re-
vera, multa sunt etiam in libris Catholicorum non ad rem. Z czego
stusnie oni sydzca. Sipienti satis. In his materiis, quas attigi, puto
in Provincia nullum esse ita versatum: Non quod non sint meliores,
sed quia non sciunt, nisi quae sunt in Bellarmino, ktore u mnie na
teraznienske mozgi barzo stabe. Erzebá nowych rzeczy á potes
znieszych/ nie Patribus, ale czym inszym ich konac. Quarto non
scio, an expediat Assertiones imprimere. Nam si imprimerentur, di-
cerent Haeretici, nos pro hac re diu preparasse, & illis ad preparan-
dum parum temporis reliquisse &c. Melius esset scriptas proponere,
idq; ex aliqua occasione recenti ibi nata, verbi gratia: ex aliquo pri-
vato Colloquio cum aliquo insigni Haeretico de eadem re, ut in captata
occasione publica Disputatio de eadem Materia offeratur. Vel ex Con-
cione de eadem re, vel ex abjuratiõne alicujus Haeretici conversi &c.
Si autem vobis videretur imprimendas esse Theses, possent hic imprimi
meo sumptu, sed in uno tantum medio folio, sine praefatione, sine Ar-
gumentis poprosu more Scholastico. Quinto, puto R. P. Provinci-
alem non fore contrarium, scribite ad illum (dum modo fiat, ut su-
pra scripsi, ego semper paratus, etsi mihi non significarint V. R. R.)
si ille approbabit, faciam: & ut spero, cum omnium satisfactione &
fructu non paenitendo. Potest illi R. V. mittere has meas literas, quia
cum illo ego procedo sincere, non erubescam coram illo, quod ita scri-
bam, Jakoby o sobie wiele rozumiejac. Deus videt cor meum, ze tu
nientas quicquam vanitatis & praesumptionis, sed ubi offertur spes fru-
ctus, dico sincere, quod est in rei veritate, etiamsi videri posset, non
addictis sapere fumos. Deus nos judicabit. Sexto iterum rogo, nihil
faciat cum Arrianis. Credat mihi, ze lepiej udadzca swe bledy u
swoich. Nam inter mille Personas quotus quisq; est, qui agnoscat sub-
tilem Veritatem. Subtelniechy teraz sa/ niz byli za czasow swieo
tego Augustina y swietego Athanasiusa. A u nas Auditor proo
sty/ gruby (o Heretykach mowie) á tylko subtelny na zdrady
y wykrety/

W wykrety / ktorych samem Pismem in hac Materia nie wiem kto
pokona / Si tamen est aliquis, qui hoc assumat, fiat in nomine Do-
mini. Wiem dobrze jako zlie sie powiodly Disputacie in se / y oná
Ratisbonæ Græcerowa / zle reuera, non stetit cum honore. Czytas
tem totam diligentissime. az mie iey wstyd. Hæc ego syncerissime
scripsi R. V. Quæ tamen R. V. nulli evulget, nisi sit R. P. Rector,
& R. P. Provincialis, ad quem satius est scribere, sed has literas
non amittere, ne veniant in manus malevolas jako to bywa ná dro-
gach. Quod si R. V. vult omnino aliquid imprimi, non ad me de hoc
scribat, sed ad Patrem Rectorem nostrum, ut ille jubeat & mihi per-
suadeat. &c. &c. & ad P. Valerianum S. vos judicabitis. Saluto R.
P. Rectorem, meq; Sacrosancto Sacrificio ac precibus R. V. commendo.

R. V. Servitor.

Hic nomen transversis & invicem junctis literis
implicuit, quod mihi legibile non fuit.

Ad calcem tamen Epistolæ ista adjecit.

Meam non vidi, nec videbo, nisi cras, & Tabellarius disce-
dit, ideò non saluto ejus nomine R. V. sed sub rati-habitione possum
salutare.

Addo & hoc: Si disputarem, nollem aliter, nisi ut omnia scribe-
rentur hoc modo. Sint duo Notarij: Vnus Catholicus cum assistentiâ
duorum Hæreticorum hinc inde: Alter Hæreticus cum assistentiâ du-
orum Catholicorum hinc inde, id est à lateribus, ut videant, an rectè
scribant, ut ita ex Protocollo postea imprimendo appareat, penes
quem fuerit victoria. Nam w Pánu Bogu nádzieje / ze by y Lucya
per przyshedł, abiret valde confusus. Credat jam experto. Non mi-
hi, sed Deo, & sanctæ Ecclesiæ veritati fido.

Hæ literæ per incuriam Deferentis elabente Mense Ju-
nio Lublini sunt amissæ, & non sine singulari Dei Providen-
tiâ in manus Illustris & Magnifici cujusdam Dn. Patroni, de
Ecclesia Dei meritissimi, inciderunt: quas cum mihi pro suâ
in me beneyolentiâ ostendisset, ipse putabam aliquid esse con-

fictum & partum suppositivum. Ubi verò Mense Augusto
 Theses à Jesuitis ad Orthodoxos missas conspexi, fidem con-
 tinuò adhibui, & jam nullus dubito, quin istæ literæ sint ge-
 nuinus Jesuitici ingenij foetus. Omnia siquidem, si negoti-
 um cum Arrianis exceperis, in phrasi, paucis immutatis, The-
 sibus respondent. Deum immortalem, ante cujus tremendum
 Tribunal stabo, testem in animam meam invoco, quòd opti-
 ma fide, nihil addendo, aut detrahendo, ex ipsius Jesuitæ
 Autographo hoc exemplar Epistolæ propria manu descripse-
 rim: ex qua pro maturitate tui judicii vides, non tantum,
 quem scopum in provocandis ad disputandum nostris Jesui-
 tæ sibi præfixerint; sed quanta fuerit hujus Thraçonis no-
 stros provocaturi ἀυθαδεια, φιλανθια & κομπασμος, vanitas, præ-
 sumptio & jactatio: Hac excoecatus, non tantum Socinianos
 Orthodoxis anteponit; sed etiam propriæ Societatis Cory-
 phæum Bellarminum, & illa, Gregorium à Valentia, Gre-
 tserum, Costerum, in hac factione præcipua lumina, infra se
 dejecit. Quæ frons huic Jesuitæ? Putat se novum Atlantem
 cælo huic fulciendo recens divinitus adhibitum. Sed insi-
 gnem prodit vanitatem, qualem Artotrogo Parasito suo Pyr-
 gopolinices in Plautina Fabula deridendum propinat.

*PYR: Ecquid meministi? AR. Memini centum in Ciliciâ,
 Et quinquaginta, Centum Sycolatronidæ,
 Triginta Sardi, Sexaginta Macedones,
 Sunt Homines, tu quos occidisti uno die.*

PYR. Quanta isthæc hominum summa est?

*AR. Septem millia. PYR. Tantum esse oportet: rectè rati-
 onem tenes. AR. At nullos habeo scriptos, sic memini tamen.*

Poteratne de Orthodoxis hic Homuncio benè judicare &
 qui tantam ignorantia & obtusi acuminis notam Jesuitarum
 acutissimis inussit. Judicet, ut velit, cæcus de coloribus, ju-
 dicii expers Jesuita. Nobis certè, ut cum Jesuitis, ita cum
 Socinianis, congressus formidabilis nunquam fuit, aut erit.

Non

Non multum sanè laudis Jesuita Rádziminski reportavit ex Disputatione de transubstantiatione Panis in Corpus Christi Levarthouiae cū Reverend. Patre Dn. Francisco Iezierski Ecclesiarum Minoris Poloniae Superintendente Vigilantissimo, qui jam in Domino quiescit, ante viginti annos instituta: Minus procul dubio Martinus Smiglecki ex illa, quam cum Reverend. Dn. Daniele Micolajevio Vilnae de Primatu Petri habuit. Triumphavit quidem uterq; ; sed triumphavit, ut Jesuitæ in more positum habent: *Ubi ceduntur & maximè cadunt, ibi Trophæa simpliciorum animos fascinaturi erigunt.* Majores etiam Socinistarum, Christi Majestatis inimici, non tantùm solidis Scriptis: (Quis enim illorum Hieronymi Zanchij de tribus Elohim, uno æternoq; JEHOVA, solidissimum librum refutavit?) Sed et Colloquiis de eodem Argumento institutis à nostris sæpiùs fusi & prostrati sunt. Tacebo antiquiora, unum tantùm, quod nostrâ memoriâ institutum fuit, in aciem producam. An non, cum Magnus Dominus Jacobus Sieniensi Palatinides Podoliensis ad Arrianos deficeret, in illa Racoviae instituta Disputatione omnibus Divinitatem Christi oppugnantibus aqua hæsit, cum R. Dn. Martinus Gratianus locum Pauli Hebr. 1. v. 8. 9. &c. contra ipsos urgeret? *Ad Filium autem: Thronus tuus Deus, in seculum seculi: Virga recta virga regni tui. Dilexisti justiciam, & odisti iniquitatem: Propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exultationis ultra Consortes tuos: & Tu in initio DOMINE terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt caeli: Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes ut vestimentum veterascent.* An non commentum illud de nova Creatura in Christo, quæ perire, veterasce, mutari non potest, tunc temporis evanuit? In eam ergo sententiam Sociniani propendebant, quòd Paulus Scripturam à proposito detorserit, & verba de Patre dicta Filio adaptarit. En acumen Socinianum! Paulus igitur in tertium cælum raptus Scripturam depravat? Arriani non depravant? Quæ cum ita se habeant; terribilisne erit

Orthodoxis acies illorum, qui tot & tantis Scripturæ Testi-
moniis in angustias compinguntur, & ad futiles, stolidas, ab-
surdas, quæ Atheismum redoleant, responsiones rediguntur.
Ad literas Jesuitæ redeo: Ex quibus planum est, illos quidem
Concordiam & unionem verbis crepare, inter se tamen discor-
des esse. Si enim ille novus Atlas disputaturus nihil vult su-
mere ex *Bellarmino, à Valentia, Gretsero, Costero*, qui sua ex Scri-
ptura, Conciliis, Patribus, Ratione probare conati sunt: Ergo
aut illi delirarunt, & suis Scriptis Orbi imposuerunt; aut hic
gloriosus miles mentis impos est. *Si nullum vult habere adiutorem,*
è quòd nullus sciat ejus Argumenta, & alter iret Varsaviam, alter
Leopolim: quomodo ergo uno fundamento nituntur? quo-
modo ab uno Spiritu reguntur? quomodo unius sunt labii Je-
suitæ? Caudis procul dubio, ut vulpeculæ Samsonis, Ponti-
fici Romano alligati cohærent: Verùm capitibus inter se dis-
siliunt. *Si omnia ejus Argumenta nova, antiquitatis suffragio minimè*
opus habentia; agnoscit ergo se suosq; in hac causâ finibus
Antiquitatis depulsum: quâ itaq; fronte, prætextu Anti-
quitatis, suis Auditoribus illudit? O magnam vim Veritatis!
quæ etiam à vaferissimo Jesuita extorserit, ut ultrò confitere-
tur: *Multa esse in libris Catholicorum non ad rem, quæ meritò Ortho-*
doxi rideant. Item Gretserum in Disputatione Ratisbonensi non cum
honore, sed cum dedecore Jesuitarum stersisse. Quorsum ergo Gretse-
ri, Tanneri, Hungeri, de Hunnio, Heilbrunnero, Osiandro,
coram Plebe tam plausibiles triumphis? Extra omnem dubita-
tionis aleam, ad illam ipsam dementandam. *Vtinam Jesuitæ Ve-*
ritatem in injusticia detinere nolint; sed candidè in negotio salutis
cum Plebe agant, quemadmodum hic Jesuita Jesuitæ sincerissimè men-
tem suam aperit. Verùm optandum hoc magis, quàm speran-
dū. Princeps enim hujus seculi, Superbia, Avaritia, Ambitio,
totius Mundi, sub prætextu devotionis, occupandi libido,
candorem animo penitus excussit. Deniq; vides, quamvis Je-
suitæ castam & Angelicam in coelibatu vitam se ducere glori-
entur

entur: eos tamen habere suas Phrynas, Thaidas, Veneres, quibus, si non castè, tamen cautè, omnes inter se scortationum conscii, abutuntur, & quarum animas, ut inquit Cornelius Agrippa, debent lucrari Deo, earum corpora sacrificant Diabolo.

Ad Socinianos, Amicorum integerrime, devenio, qui nullo jure & de Pontificiis, & de Orthodoxis in suis coetibus, cecinerunt triumphum. Uisit contra Jesuitam Statorius Minister Arrianorum hoc Argumentum. *Qui nescit diem Judicii, in illo non est divina natura. Christus nescit diem Judicii Marc. 13. v. 32. Ergo in Christo non est divina natura.* Quid Jesuita responderit, mihi certò non constat. Graves Theologi ad Sophisma geminam afferunt responsionem: Quarum prima, *Quòd Christus nesciat diem Judicii, quà Homo; sciat, quà Deus. Ignorare enim Christum multa secundum humanam Naturam certum est, quippe cum profecerit ætate & sapientia: & Natura creata non possit esse omniscia:* Instabit Statorius & dicet: *Hoc ipso loco tolli istam Responsionem: Sed perpendere debet, quòd unus locus tot aliis clarioribus duas Naturas in Christo ex incertibus præjudicare non possit. Pauciora enim in Scriptura explicanda sunt per plura; quibus citandis in præsentia supersedeo.* Unum tamen velim doceri à Socinianis. *Quomodo Christus sit & Dominus & Filius Davidis, si tantum Homo? David enim Rex liberrimus, nullius Monarchæ Vassallus, non potuit habere Dominum, nisi Deum Israëlis: Atqui Messiam in Spiritu Psal. 110. Dominum suum vocat: Messias igitur est Deus Israëlis.* Addo. Si multis post seculis ex Tribu David Christus nasciturus erat, dicant, quæso, qui poterat Davidi dominari? Sed hæc *ωαγγέλιος*. Altera Responsio à Theologis affertur talis: *Quòd Christus diem Judicii ignoret per modum secreti, Quia licet eum sciat, non tamen eo fine in Mundum missus est, ut Homines eundem indicaret; quippe cum scire minimè expediret.* Ad Majorem igitur Sophismatis respondetur per Distinctionem, seu Limitationem. *Qui simpliciter & absolutè nescit, in illo non est Divina Natura. Sed Christus non simpliciter, nec absolutè nescit: Verum*

rùm secundum quid, nempe secundum Humanam Naturam: & per modum secreti nescit. Conclusio igitur simpliciter colligens nihil concludit: ac ita à Statorio committitur Paralogismus hac in Materia familiaris. *A dicto secundum quid ad dictum simpliciter.* Utraq; Responsio vera & solida. Christum enim scire diem judicii hinc liquet *I. Quia est verus Deus. II. Quia in ipso absconditi sunt Thesauri scientiæ & sapientiæ Dei. III. Quia processum & omnes circumstantias ultimi Judicii descripsit & exposuit. Qui autem circa hoc Judicium majora scivit, minora quàm ignorasset? IV. Quia est definitus à Deo Judex vivorum & mortuorum. Omnis autem Judex scit diem definitum Judicio suo. V. Quia Spiritus Sanctus scrutatur etiam profunditatem Dei; proinde diem Judicii novit. Spiritus autem Patris idem est, qui & Filii; novit ergo Christus diem Judicii.* Hæc ad Sophisma Statorii, cui si insisteret, facile in ipsum retorqueri poterit hac ratione. Si hæc Propositio; *Qui nescit diem futuri Judicii, in illo non est Divina Natura;* necessariò vera: Vera igitur erit & hæc: *Qui scit diem Judicii, in illo est Divina Natura.* Atqui hæc posterior non tantum quinque ante-positis Rationibus probata est; sed etiam Socinianorum Confessione confirmatur; qui concedunt, *Christum jam in cælo in tantum dignitatis erectum, ex revelatione Patris, diem ultimum Judicii scire.* Concluditur itaq; in Christo esse non tantum Humanam; sed etiã Divinam Naturam: atq; ita Statorius causa cadit.

Hæc fortassis ad tuum postulatam fulius, quàm requireret Epistolaris angustia. Finem ergo scribendi faciam, si te prius rogavero, *ne sine causa excrucietur animus tuus:* siquidem nullam sibi, Deum testor, ut Jesuitæ, ita Sociniani, inito certamine, triumphandi causam justam pepererunt *Tu infirmiores confirma Fratres,* quibus hæc meas, si ex re illorum esse judicaveris, ostendere poteris, nullus dubitans, quin bonam causam tempore & loco competente, tam contra Jesuitas, quàm contra Socinianos, cum bono DEO, sumus propugnaturi. Vale.

REMIGII THADDÆI SAXONIS,

*De Disputationibus, quibus à Jesuitis in dubium
vocatur autoritas Sacre Scripturae,*

MEDITATIO.

DEI omnipotētis, & Humani generis, imprimis tamen
Ecclesiæ Hostis Satanæ, Serpens ille antiquus &
Draco, veniens olim ad nostram primam Matrem
Hevam, volensque eam à DEO Deiq; vero & ge-
nuino cultu ad suum Mendacium & Tyrannidem avertere,
& per eam quoq; Adamum primum nostrum Parentem decipe-
re, in dubium vocavit Verbum DEI, & Præceptum de non
edendo fructu Arboris scientiæ boni & mali; atq; Commina-
tionem eidem adjunctam. Idem faciunt hodierno seculo JE-
SUITÆ blasphemè ita dicti, & alii hisce similes, qui Ver-
bum DEI Scriptum & divinitus inspiratum, & hucusq; in ori-
ginalibus Linguis miraculosè conservatum, quod Biblia nun-
cupamus, in dubium vocant: & simul Canonicis, quos pri-
mitiva Ecclesia Judaica & Græca pro talibus agnovit, & Te-
stimoniis suis approbavit, non modò Apocryphos; Sed etiam
Traditiones Ecclesiæ æquivocè ita dictas æquiparant. Co-
nantur autem isti homines has suas dubitationes, & æquivo-
cas æquiparationes obtrudere omnibus promiscuè, maximè ta-
men rudi plebeculæ; non aliter, ac olim Satanæ imbecilliori
sexui Hevæ suas blasphemias adversus Majestatem DEI obtru-
sit. Traditiones Ecclesiæ æquivocè ita dictæ sunt commenta
humana, & quidem ociosorum hominum: Apostolus Paulus
nominat tales Traditiones, qualibus hodie Ecclesia corrupta
& depravata Romana simpliciores effascinat, Doctrinas Dæmo-
niorum. Sed videamus paucis Comparationem Satanæ & il-
lorum, qui Sacram Scripturam in dubium vocant. I. Sata-
næ in specie Serpentis callidissimi & astutissimi omnium ani-
malium in terrâ ad Hevam venit. Ita Jesuitæ sunt doctissimi,
callidissimi, & astutissimi Sophistæ, & inter reliquos Mona-
chorum Ordines veluti antesignani & Coryphæi. II. Sata-
nas

C

nas

nas ad Hevam venit: neque tamen Hevam solam; verum etiam Adamum decepit. Ita Jesuitæ apud Fœmineum maximè sexum, deinde & apud imperitiores sese infnuant: Verumtamen alios quoque unâ cum illis sæpenumero seducunt. III. Satanæ ad Hevam veniens dixit: DEUSne prohibuerit, ne ex ulla arbore ederetis in Paradiso? ac si dixisset: Præceptum de prohibitione edendi ex arbore scientiæ boni & mali non est certum, neque seriò à DEO propositum: Existimatisne esu hujusmodi fructuum DEUM magnopere offensum iri? Ita prorsus etiam hodie Jesuitæ coccyfant: Existimatisne DEUM omnem suam voluntatem in Scripturis revelasse? Scripturam esse infallibilem Religionis Canonem? omnia in scripturis contineri? Scripturam esse perfectam, planam & perspicuam, & non potiùs obscuram? Cùm constet, eam esse Lesbiam Regulam; Cereum nasum; materiam litium; librum, quo omnes Hæretici suos palliant errores &c. &c. IV. Satanæ comminationem præcepto additam his impudentibus verbis elusit: Nequaquam moriemini: sed scit DEUS, quòd quocunque die inde ederitis, oculi vestri aperientur, & eritis sicut Dii, & scietis, quid sit Bonum aut Malum. Jesuitæ præcepta DEI cum comminationibus impudenter negligunt, & silentio involvunt: aut, si eis objiciantur, contemnunt, vel fallaciter & Sophisticè elevant: cum tamen DEUS expressè dixerit. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neq; auferetis ex eo. Ne sequamini cogitationes vestras, neve ad oculorum vestrorum intuitum spiritualiter scortemini. Ad legem & ad Testimonium. Nisi dixerint juxta Verbum hoc, non erit eis matutina lux. Non juxta præcepta Patrum vestrorum: sed juxta mea præcepta ambulabitis. Ne addas quicquam verbis illius, ne arguaris, inveniariusque mendax. Siquis insuper addiderit adhæc, adjiciet DEUS ipsi plagas scriptas in libro hoc: & si quis abstulerit à verbis libri hujus Prophetiæ, auferet DEUS partem ejus à libro vitæ, & civitate sanctâ, & iis, quæ scripta sunt in hoc libro. Frustra me colunt servantes mandata hominum. &c. &c. Hæc omnia & plura alia seriò & severè à DEO dicta, sicut & præceptum de imaginibus non faciendis, aut colendis, & eidem præcepto comminationem additam, Jesuitæ
per

per suas Sophisticationes in ludum & jocum convertere conantur. Non potest ovum ovo, pilus pilo, lac lacti esse similis, atque hac in parte Jesuitæ sunt similes Diabolo in dubium vocanti Legem Divinam vel Sacram Scripturam. Quicumque igitur sapit, ille strophas & fallacias Jesuitarum cane pejus & angue fugiat: & ad Verbum DEI attendat, quod in doctrina salutis nostræ necessaria non est obscurum, imperfectum, tenebri-
cosum &c. ut Jesuitæ sophisticantur. Quodsi quis Sophisticationes Jesuitarum magni fecerit: & Verbum DEI scriptum ex manibus & animo seposuerit: hancq; Religionis veræ Christianæ Regulam deseruerit: & assumenta Traditionum humanarum apprehenderit: Verendum est, ne instigantibus Jesuitis naufragium faciat circa Fidem & conscientiam: Sicut Heva & Adam instigante Satanâ naufragium fecerant circa obœdientiam & justitiam primitivam. Utinam nunquam posthac exaudiatur Jesuitica de Verbo DEI Scripto dubitatio impia, blasphema, Diabolica, pietati perniciosa, atq; atheismo viam sternens & præparans. Credo ego firmiter, eos, qui Papæ Romani autoritatem affectatam autoritate Scripturæ tueri laboriosè, & fallaciter, æquivocèq; satagunt, & interim Sacram Scripturam in dubium vocant; imperfectionis, obscuritatis, ambiguitatis &c. &c. accusant, Atheos esse, cœcosq; cœcorum duces. Contradictoria namq; hæc sunt: Papæ autoritas ex sacris literis eruitur: & sacræ literæ sunt dubiæ. Itaq; etiam ipsa Papæ Romani autoritas erit dubia. Qua de re pii cogitent, ut hoc Jesuitis probè exprobrent; & quidem semper, quotiescunq; Jesuitæ nimio amore Papæ excœcati delirant, & in profunda stupendaq; sua sapientia desipiunt.

*Hæc ego, sed breviter, dixi veraciter illis,
Biblia qui stultè vile quid esse putant.
O tandem sapiant: nunquamq; volumina sacra
Temnant. nam Papa sic non Papa fiet iners.
Hoc tandem fiat: Christus celebretur ubiq;
Et Papa cum Sociis Tartara ad ima ruat.*

C 2

Nos

*Nos sacra turba DEI Leges rimabimur illas,
Quas nos felices Biblia sacra docent.
Simplicitas secla hac, opto, ut primæva gubernet;
Utq; Papæ ritus dispereant penitus.*

D. Gillebert. sup. Cantica Canticor. Serm. 16.

Loquere linguis non hominum, sed Angelorum. Angelus enim Dei es, qui sacri profiteris verbi mysterium. Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Evangelicè ex toto loquere, qui vir Evangelicus es. Sermo ergo tuus Legem redoleat, Prophetas, & Apostolos; eorum verbis linguam tuam exacue, tua ex eis arma potentia DEO, ad debellandas munitiones, ad redigendum in captivitatem omnem intellectum extollentem se adversus scientiam DEI. Veritatis sit in manu tua gladius spiritus, ut ad omne, quod tibi emergit, negocium famuletur, nec destituat te Sermonis sacri facultas, quem temporalis & subita deposcit occasio.

Idem super Cant. Cant. Serm. 31.

Non est adulterandum Verbum DEI, nec admistione corrupendum peregrinâ. Suis sit contentum uberibus; uberibus utriusq; Testamenti. Hæt tibi memoriter in pectore hæreant, hæ tibi consolatorium, & quasi lacteum sermonem ministrent, ista suggerant, quod alii lugant.



Hildrici vindicia Biblica Verfion: Tigur:
Parei Oratio de pace et unione Eccl: Evangelicav.
Raxen spergeri ad oratv ad pps Job: Piscatorem.
Ejusd: iudiciu de Grot: libro ad pps Socinū de Satir.
Ejusd: globo facerfatione.
Sculteti (Abr:) Concio secularis de civā Evang: restant^{ta.}
Marc: Antonii de Dominis caā Affectionis ex Italia.
Fersii postliminiū.
Argenti de statu Soc: tes: in Colon: et Litzvan:
Tamporei, quā stiq de foederibz.
Mylū Comœdia Africæ Synopsis.
Gelicci defensio sexus muliebris.
Facultatis Med: aomotio de eadem re.
De Lublinensi Disspūt. Ann 1615.
Antimatio fubilai Evangel: ad 1617. vritel
Epistola imatatoria Med: Saxon: ad idē fubilai
fubilaum Lütberanū Leoninū.

ULB Halle

004 071 263

3



56





14

DE LUBLINENSI DISPUTATIONE ANNO

DN. M. DC. XV, die IX. & X, Augusti à
JESUITIS institutâ, Brevis, simplex &
candida Epistolaris Relatio.